



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

XIX. Non licere sine consilio metropolitani episcopi episcopum ordinari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

XIX.

Episcopum non ordinandum sine consilio & præsentia metropolitani episcopi, cui melius erit, si ex omni prouincia congregentur episcopi. Quod si fieri non potest, hi qui adesse non possunt, proprijs literis consensum suum de ipso designent, & tunc demum, post plurimorum siue per præsentiam, siue per literas consensum, sententia consona ordinetur. Quod si aliter, quam statutum est, fiat, nihil valere huiusmodi ordinationem. Si vero etiam secundum definitas regulas ordinatione celebratur, contradicant autem aliqui, propter proprias & domesticas similtates, his contemptis, sententia de eo obtineat plurimorum.

Dist. 63.
 Episcopus
 non est or-
 dinandus.

Propter ecclesiasticas causas, & quæ existunt controuersias dissoluendas, sufficere visum est bis in anno per singulas prouincias episcoporum Concilium fieri. Semel quidem post tertiam hebdomadam paschalis festiuitatis, ita vt in quarta septimana sancti paschæ perfici Concilium possit, conuocante metropolitano episcopo omnes prouinciæ episcopos. Secundo autem Concilium fieri Idibus Octobris, qui dies apud Græcos Hyperberetæi mensis decimus quintus inuenitur: ita vt in his Concilijs procedant omnes presbyteri, diacones, & reliqui qui se læsos dicunt, vt in Concilio eorum causa examinata, ad debitum iudicium perueniant. Nec liceat vlli proprie apud semetipsum Concilium celebrare, præter eos quibus metropoles creditæ sunt.

Dist. 18.
 Propter ec-
 clesiasticas.
 Et in decr.
 suo. lib. 4.